S. Nondum huc venit Foxius, neque is qui negotia Regia hic gerit,
de eius adventu quicquam potest affirmare. Libellos autem, tuos
nimirum mirificos Nuntios, Apollonium & Responsionem
patris tui ad ineptias Theologicas accepi. Nuntios duo
erant exemplaria, quorum alterum ut voluisti D. Sbrusio
exhibui, & te diligenter commendavi, etiam illo argu:
mento usus, te exhaustum cum Thesaurum alijs collegisti
& impertivisti. Nondum quicquam respondit, nec ego
propter meam valetudinem, qua dolor aures ita affli:
gitur ut pene sensum auditus prorsus amiserim, acce:
dere potui. Quicquid autem possum ex animo tua causa
sum facturus. Cum illa, quae Nuntiis accessorium
legi, de meo cive tibi amico alij illius combibones,
ad quem tu Argumentum misisti, cogitavi. Et utinam
ipse cogitaret. Tua autem ad iocandum hilaritate &
promptitudine delectatus sum, etsi me propemodum in
hac misera vita nihil delectat. Ad morbum ~~autem~~ vero
accessit maeror ex obitu amplissimi mei
amici Joachimi Camerarij, et ex tristi casu amicorum in
infoelici Misnia. Sed de his aliquid si voles certius,
ex meo ac nostro potius Jacobo Monavio, quem si
nondum vidisti, propediem ad te venturum arbitror.
Nam ex Italia iam (Ut opinio mea est) discessit, ut vestra suavitate
fruatur. Commendavi eum tibi iam antea. Illum
pluribus verbis non ornabo. Utinam huic ~~vel~~ iste opes
essent, quibus ~~—~~ eius animus abundat, vel illi hic
animus quo Jacobum esse cognoscis. Tuas ad illius
adventum asservabis, et mihi mandabis si quid
a me fieri potest, quo amicissima & fidissima volun:
tas declaretur. Est ne aliqua spes reliquas Scaligeri
nobiles exercitationes nos visuros. Non potero nunc plura
scribere. Bene vale & amicos a me saluta. D. 29
Maij 1574

Crato

Crato – [illegible]
29 Maij 1574

Ornatissimo et doctissimo viro
D. Henrico Stephano Typo-
grapho praestantiss.°

Geneuae

Crato.